



Mariae Virginis Sacratiss. Miraculorum Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Mirac. Virg. XXXI. Pij quidam uiri, fracta nauis in mari, illa uerba recitantes
Felix namq. es sacra uirgo Maria, superstites ad littus eiecti, periculo
liberantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

Virginem inuocauit, quae mihi misericordiae mater, cum sub undis essem, auxilium tulit, meq. ueste sua uelans, nunc ut uidetis, hucusq. deduxit. Id audiens Episcopus una cum ceteris omnib. laetè, ac piè Deū, Virginemq. aeternis laudib. efferebant.

MIRAC. VIRG. XXXI.

Pij quidam uiri, fracta naui in mari, illa uerba recitantes FELIX namq. es sacra uirgo Maria, superstites ad litus eiekti, periculo liberantur.

Maris tempestate unà cum plurimis alijs, coenobij praefectus agitabatur. quare metuentes omnes, ne morti dederentur, alij hos, alij illos coelestis in periculo, immortalia uota suscipientes orabant, ut sibi essent propitij. Videns praefectus à nemine Virginis nomen inuocari, dixit, cur alios precamini; eius uerò, quae nos magis seruare potest, nullā retinetis memoriā? Rem piam certè geritis; sed meliùs uobis consultum erit, si unà omnes Dei genitricem aduocabitis. Quod ubi intellexere, eam omnes obtestabantur, ut sui miseresceret. Praeterea praefectus, quamuis inedia fessus esset, toto .n. biduo tempestate ingrauescente, nullum cibum ceperat, unà cum alijs illam hymni partem memoriter recitabat; FELIX es sacra Virgo, & laude dignissima, quia exte ortus est sol iustitiae Christus Deus noster. His piè peractis, in suprema ipsius nauis mali parte tplendidissimam lucem conspexerunt, quae noctis tenebras admirabilem splendorem afferens dispulerat

spulerat. Ad nutum ergo Virginis statim tempestas
sedata est; & maris fluctus compositi sunt. Vbi con-
sumpta nocte, serena dies illuxit; ad eum portum, ad
quem iter habebant, se ad pullos uident.

MIRAC. VIRG. XXXII.

*Valde salutaris res est ijs, qui in carcerem conclusi sunt,
Virginem implorare.*

Miles, qui diu in teterrimo carcere fuerat, so-
luta ingenti pecunia, in leniorem missus est,
ubi à custodib. catenis reuinctus custodie-
batur. Noctù dum in illor. medio esset, pro salute sua
quàm potuit sanctissimè Virginem precatu est. Pa-
ullò post hanc uocem in somnis audiuit: Virgini con-
fide; te ipsa hinc eximet. Somno excitus, secum co-
gitabat, uerum ne illud esset, an somni falsa imagi-
ne illuderetur. Interim, cum paullulum corpus leui
motu declinasset; alteram manum, ac pedem uincu-
lis dissolutum uidet. Solutis somno custodib., & ipsis
diuinitus omnis uis fuit sublata. Videns captiuus il-
lud diuino miraculo accidere; somno iterum oppres-
sis custodib., altero pede adhuc catena impedito, at-
tritis linteis, restis uice utens, è specula se dimisit.
Eum postea maximo comitatu illi a tergo persequen-
tes, minimè potuere adsequi. Adepta ille libertate,
templum adiens, quas secum adtulerat catenas, &
uincula, propè feruatricis Virginis sacellum defixit.